

περὶ ναυτικῶν. Rhodia autem lex erat, quae passim a rhetoribus Graecis allegatur τὰ ναυαγία τελωνῶν εἶναι. Nam quae in collectione naualium LL. Graeca quae vulgo exstat sub nomine legis Rhodiae κατ' ἐκλογὴν Sect. 1. περὶ τῆς πραιίδας ποιούντων ἐκ τοῦ ναυαγίᾳ ex Romana venire, non vero ex Rhodia, palam est; nam vox πραιίδα, pro qua σύλαν Rhodii dixissent, ostendit, Romanam esse constitutionem, adde, quod de fisco nihil illa constituat, sed de priuatis, qui aliquid ex rebus naufragii rapuerint, quos quadrupli condemnari iubet. Vix autem mihi persuadeo, legem Rhodiam, quae ab εὐνομία et ἐπιμελεία a STRABONE lib. 14. commendatur, cui attribuit splendidum ab aequitate encomium DOCINIVS in fin. iur. Graec. Rom. omnia naufragorum bona fisco aut publicanis adiudicasse, nam nihil tam crudele aut inhumanum, quam miseros naufragos ἀσύλητον γένος diripere. Porro pergamus, et veram rationem, seposita omni misericordia, quae etiam interdum animum nimis flectit, ex ipsis imperatoris verbis eruamus, quae omnibus omnino potestatem adimunt occupandi naufragorum bona. §. ult. I. de rer. diu. distinguit inter bona derelicta et eiecta. Illorum dominium statim amittitur, quia adest voluntas abiiciendi, id est, ea mens, vt non amplius debeat esse nostrum; horum autem illa ratio, vt quum adsit abiiciendi necessitas, non eo id fiat animo, quod quis id in numero rerum suarum amplius habere nolit, l. 58. ff. de acquir. rer. dom. l. 2. §. fin. et l. 8. ff. ad Leg. Rhod. de iactu l. 21. §. 2. ff. de acquir. vel am. poss. quod adeo verum est, vt actio furti contra illum detur, qui lucrandi animo occupauerit, l. 1. l. 3. l. fin. incend. ruin. naufr. l. 43. §. 11. ff. de furt. Hinc Fridericus II. imperator omnibus, qualescunque sint, consuetudinibus sublati, tam nauigia ipsa, quam nauigantium bona integra reseruari ad quos spectabant, antequam nauigium illud periculum incurrisset, statuit, et transgressores honorum suorum publicatione multauit. lib. 5. consuet. feud. §. 9. Vnde desumpta auth. nauigia C. de furt. Suffragatur, hisce nouella constitutio sacratissimi Imp. Caroli V. art. 218. apud HAIMINSE. tom. 3. Const. Imp. p. 559. Vnde in camera Imp. hoc in casu sine clausula decerni solet GAIL. l. 1. obseru. 18. ordin. Cameral. p. 2. ord. 23. REICHWEIN. part. 1. supplic. Camer. cap. 11. pag. 588. seq. Vide quae plena manu tradant PRUCKMAN. in §. soluta potestas cap. 3. num. 125. seqq. VENTURA DE VAL. l. 1. Parthen. litig. cap. 13. num. 5. seqq.